lensis, et omnia sunt ibi in bono foro, bonum portum et capacem habens multarum (b) triremium. In Cursula vidimus quoddam castrum in monte, quod est principium regni Hungarici, et est regis. Ex opposito Cursulae in alio latere canalis, est totius Dalmatiae caput, Ragusium, civitas pulchra, in qua alio tempore ad tempus degui. Haec alio nomine dicitur Epidaurum; non credo tamen ipsam illam Epidaurum esse, in qua Aesculapius, Apollinis filius, deguit et post mortem templum habuit, cujus simulacrum in forma serpentis colebatur. Unde, cum Romani tribus annis peste gravi vexarentur, inspectis Sibyllinis libris Aesculapii simulacrum tulerunt et veluti fatale remedium contra pestem Romam duxerunt et convaluerunt. Hanc Epidaurum superius Dyrrhachium nominavi Fol. 185., in qua Constantinus coepit aedificare Constantinopolim. Ab ea civitate Epyrus regio nomen accepit, et in ea S. Hilarion mare, quod contra civitatem elevabatur, opposito signo crucis stare fecit, sicut legitur in vitis patrum, et in ea draconem immanem concremavit, ut dicit Hieronymus in ejus vita C. 33. Illa ergo Epidaurus est in Epyro et dicitur Dyrrhachium; ista vero est in Dalmatia et dicitur Epidaurus et Ragusium.

Est autem Ragusium civitas munita valde et partim in mari fundata. Muri ejus spissi supra communem modum et turres fortissimae, constituta inter duos altos montes, in quibus fortalitia et arces sunt ad protegendum; ab ea parte, ubi non est mare, per incisiones petrarum sunt profundissima fossata facta. Domus ejus sunt ut plurimum polito marmore albo vestitae, sunt enim prope in Ungaria montes marmorei, de quibus tollunt ea. Habet haec urbs navalia et optimum portum catena clausum. Habet et molendinas, tam ad ventum quam ad aquam, quae de praecipitio labitur et rotas impellit. Cives illius urbis caeteros Dalmatas superant opibus, qui cum liberi legibus moribusque instructi Venetorum more senatum et magistratum, et patriciorum regulam habent a plebe distinctum, et patritii soli rempublicam administrant, plebs vero suis rebus studet, de publicis minime curiosa est, ad mercandum pace omnibus quasi serviunt, nam regi Hungariae, quem dominum suum esse agnoscunt, multum aurum tribuunt et libertatem ab eo emunt; Turcorum imperatori annuatim XV millia ducatorum. Regem Siciliae muneribus placant et Venetos, qui quondam sex annis eam obsederunt civitatem et ante urbem arcem

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;